

MMCCCCXXXI.

André Van Loo à lord Burleigh.

(LONDRES, 6 JUILLET 1572.)

Il sollicite l'autorisation de sortir de prison en donnant caution.

Servus Excellentiae Tuæ Andreas de Loo, mercator extraneus, ex carcere (eius poenam jam solvit per spatium quinque fere mensium), omnibus precibus, flexisque genibus, humiliter orat atque obsecrat ne graveris, Domine Nobilissime, misellum hominem oculis misericordiae tuæ benigne aspicere. Præteritis diebus, dominum meum non interpellavi, quod intelligerem illum satis senioribus negotiis impediri; sed jam egor tandem, infirmus, ad Tuam Dignitatem supplex confugere et orare ut causa mea am diuturna incarcerationis, eorum prudentia D. Tuæ, gratiose (si modo commodum fuerit) semel possit agi, sin minus brevitatis temporis id patitur, ut interim (donec opportunitas dabitur) placeat Magnificentiae Tuæ Clementissimæ dare veniam, pro aliquot saltem diebus, carceris exeundi, quo (ante quam morbus invalescat) me reficiam ea tamen lege ut (data D^o Guardiano satis ampla fide-jussione), quotiescunque fuero vocatus, coram D. Vestris sim comparaturus, cum (teste Deo) valetudinarius sim et mensibus elapsis extreme laboraverim. Hanc, Domine mi benignissime, tibi flectens genua cordis mei, pronus et ex tota anima mea rogo ut exorem gratiam. Et devotissimus Tuæ Serenitati, orabo Deum Opt. Max. pro felicissimo Tuæ Magnitudinis statu, cum incremento perpetuo honorum.

Ex Fleta, 6 july 1572.

(Archives d'Hatfield, Cecil-papers, 159, 55.)

MMCCCCXXXII.

Walsingham au prince d'Orange.

(PARIS, 10 JUILLET 1572.)

Il l'engage à confier à l'un de ses frères le gouvernement de la Zélande. — Il lui conseille aussi de solliciter l'appui de la reine d'Angleterre.

Cum de statu Flushingi inter nos ageremus ego et D. Admiraldus, princeps illustrissime, ut qui optimæ causæ quam nunc agitis, summopere studemus, ibi male

admodum constitutis remedium primo quoque tempore apponendum censuimus. Illo autem negotio, subductis rationibus, neminem judicavimus magis aptum qui præficeretur quam D. Junium, tunc pro singulari ejus sapientia et in rebus agendis prudentia, tunc pro summo amore et studio quo erga causam ipsam afficitur, tunc etiam (quod maximi momenti instar haberi debet) quod illius reipublicæ civis illorum hominum popularis sit, quos auctoritate sua flectendos et in ordinem redigendos multo plus quam peregrinus aliquis poterit. Eum igitur illuc jam nunc, rebus ita exigentibus et quidem cum diligentia misimus, mandantes ne inde discedat quousque Excellentia Vestra aliquem a fratribus vestris cum auctoritate in eas regiones mittendum curaverit: quæ res ita facta est necessaria ad causam promovendam ut nihil supra. Quod rebus Zelandinis hætenus ita male prospectum sit, in causa fuit, mihi crede princeps illustrissime, quod nobilitas britannica, quæ magna ex parte ad causam ipsam prius exarserat studio, jam dudum aliquantulum refrigere cœperit. Quod ad me attinet, quo proceres nostrates denuo ad causam incendere possem, non dubitavi dicere fratrem quemdam vestrum jam nunc in via esse, nec longe abesse a Zelandia. Peto igitur ab Excellentia Vestra majorem in modum ut illud, omni exempta mora (quoad ejus fieri poterit) cures, non solum quod causæ necessitas ita postulat, verum etiam quo fidem meam apud nostros liberare possim, et possim medius toto tempore consequente causæ inservire. Non fugit prudentiam vestram quanti intersit locum illum quam optime conservari et quam necessarium si ut aliquis magni nominis, summaque auctoritate ei præsit. Hujus etiam rei Excellentiam Vestram admonendam censui huic toti negotio melius consultum iri, si litteras D. Junio ad Serenissimam Reginam nostram dederis etiam illi in mandatis ut agat cum Majestate Sua de supplicis ferendis: quod negotium ille ante adventum fratris vestri in eas partes suscipere non poterit, nec abesse longius. De statu rerum Gallicarum optime ex litteris D. Junii cognosces. Quod reliquum est, princeps illustrissime, precor Deum Optimum Maximum ut cœpta vestra secundet ad honorem et gloriam nominis sui.

Parisiis, vi^o non. Quintil., 1572.

MMCCCCXXXIII.

Thierry Sonoy aux ministres de l'église flamande à Londres.

(10 JUILLET 1572.)

Et sollicite leur appui.

(Archives de l'église flamande à Guilhall.)